



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis
Imperialis Aviae**

Mallinckrodt, Bernhard von

Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Conradvs I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11835

mani. Nec enim Cancellarius alicuius nomine & vice, præterquam vnius Archi-Cancellarij sive Archi-Capellani, recognitionem facere potuit.

CONRADVS I.

ATque hactenus de Carolingis. sequuntur reliqui Germanici Reges, Cæsaresque, qui sine controvërsia, & contradicente nullo, pro Teutonicis reputantur. Illorum primi sunt Conradus, & Henricus Auceps; quos Papali benedictione & coronâ caruisse constat Hi quibus Epistolarum Magistris, Iuris Tutoribus, & Consiliorum Præsidibus vñ fuerint, neandum fortè satis sufficienter subodorari potui: eò quòd rariora videantur illorum Diplomata superesse. nisi tamen hinc inde in Archiuorum abditis etiam nunc delitescant, vtinam cum eiusdem generis quām plurimis alijs, quibus hactenus publicum vel negligentia, vel inuidia denegat, lucem aliquando visura! Conradi Diploma extat apud Kleinsorgium in Chron. Eccles. VVestphalia; quo an. 913, regni secundo, confirmat Corbeiensium Priuilegia: verū id à Notario aliquo vel Cancellario recognitum non est. Apud Gevvoldum *de septem-viratu*, pag. 91, num. 24, sequentem legimus subscriptionem: **VVodelfridus Cancellarius ad vicem Pelegrini Archi-Capellani recogn.** an. 912. an. Regis Conradi primo. De Pelegrino, sub Ludouico huius Conradi prædecessore, dictum est: **VVodelfridum**, adhuc quæro.

Pelegrinus
Archi-E-
piscopus
Salisbur-
gensis.
**VVodelfri-
dus.**

HENRICVS AVCEPS.

Sequitur iam Henricus Auceps, Saxonorum Cæsarum primus: cuius litteras edidit inter Othonis filij Diplomata (excusa sunt cum Widekindo Saxone & Rosvithâ) Henricus Meibomius Leingoviensis, quondam Professor Historicus Helmstadianus, pag. 116; quibus Recognitor defit. Idem hic Cæsar, (cur enim fraudem meritis titulis optimum Principem, quos nec ipsa met Canonica Iura illi denegant?) postquam Lotharingiæ regnum è manibus Gallorum liberasset, aliud Diploma emisit, quod extat apud Miræū, in Cod. donat. c. 50. & Not. Eccl. c. 153, ita subnotatum: **Hilduinus Notarius, vice Rotgeri Archi-Episcopi recognoui.** Iste Rotgerus, Treuirorum 68 in ordine Antistes fuit, vir doctus & prudens. Scripsit librum Decretorum, ac Henrico Aucipi contra Normannos bellum gerenti auxilio fuit. Sed sit an. 22. obiit an. Chr. 934. Gevvoldus etiam pag. 91. num. 25, sequentem suppeditat

Rotgerus
Archi-E-
piscopus
Treueren-
sis.